

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Eiusdem de Pascatis celebrandi consentione & aduersus Iudaeos. Cap.  
XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

, collocari, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars  
, in unum conuenisset, singuli que iudicium de rebus ad sa-  
, cratissimam religionem pertinentibus interposuissent,  
, eam ob causam, cum cœtus, quantum fieri poterat, maxi-  
, mus coactus esset, ipse tanquam unus è vestrum nume-  
, ro ( non enim recusabam, ex qua re iam maximam capio  
, lætitiam, me vobis in eo ministerio cōiungere ) præ-  
, sto una adfui. Atque usque eo de omnibus rebus accu-  
, ratè quæsum est, quoad sententia Deo omnium contem-  
, platori gratia acceptaque; propter concordiam & animo-  
, rum consensum palam pronuntiata esset: sic ut nihil, quod  
, vel ad discordiam, vel ad fidei controuersiam spectaret,  
, omnino in posterum reliquum fieret.

*Eiusdem de Paschatis celebrandi consentione*

*& aduersus Iudeos.*

CAP. XVII.

**V**bi cum de sanctissimo festo Paschalis disceptare-  
, tur, communis omnium sententia videbatur rectum  
, esse, ut omnes ubique uno eodemque die illud ce-  
, lebarent. Quid enim præstabilius, quidve augustius  
, esse poterat, quam ut hoc festum, per quod spem immor-  
, talitatis nobis ostentaram habemus, uno modo & ratio-  
, ne apud omnes integrè sincereque obseruaretur. Ac  
, primum omnium indignum plane videbatur, ut ritum &  
, consuetudinem imitantes Iudeorum, ( qui quoniam suas  
, ipsorum manus immani scelere polluerunt, merito, ut  
, scelestos decet, cœco animorum errore tenentur irretiti )  
, istud festum sanctissimum ageremus. Est enim nostra-  
, rum partium, ut illorum more reiecto, veriore ac magis  
, sincero instituto ( quod quidem usque à prima passio-  
, nis Die hactenus recoluimus ) huius festi celebrationem  
, ad posterorum seculorum memoriam propagemus. Ni-  
, hil igitur sit nobis commune cum Iudeorum turba, om-  
, nium odiosa maxime. Aliam domini viam, quam insista-  
, mus, à seruatore didicimus. Proponitur namque sanctif-  
, simus nostræ religiōni cursus quidē & legitimus, & deco-  
, rus. Hunc igitur cōsentientibus animis mordicus tenen-  
tes

## EVSEBII DE VITA

res fratres honoratissimi, ab illa detestabili Iudeorū opione nos ipsos remoueamus. Est enim reuera absurdissimum, vt illi insolenter se iacent, nos absque ipsorum disciplinæ subsidio, istas res nullo modo posse obseruare. Quid tandem est, de quo illi recte sentire queant, qui post necem domino illataam, post parricidium illud nefandum, ex mentis statu deturbati, non ratione vlla, sed temerario animorum impetu, quo cunque insita ipsis & innata insanitia rapiat, feruntur? Hinc etiā existit, quod ne in hac quidem parte veritatē perspiciant: quippe præ errore extra exquisitam temporis in hoc festo celebrando obseruationem longissime euagati, eodem anno alterū pascha celebrant. Proinde quid est, cur istos imitemur, quos constat graui erroris morbo laborare? Eodem namq; anno idem festum bis recolendum non permettemus. Verum quāmuis ista non à me fuissent proposita, tamen vestræ solertiæ esset, cū diligentia adhibere, tum semper optare, vt nulla vobis aliquando detur occasio vestrorum animorum integritatem, nequam hominum moribus admiscendi. Ex his item illud potest intelligi, nefas esse, vti in tanto & tam solenni religionis nostræ festo regnaret dissensio. Vnū enim libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ passionis, servator noster nobis tradidit, vnamque ecclesiam catholicam esse, voluit. Cuius quidem membra tametsi in multa & varia loca dispersa sint, tamen uno spiritu, hoc est diuina voluntate & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudenter accuratè secum consideret, quām graue, imo vero quām indecorum sit, vt iisdem diebus alii ieuniis vacent, alii agitent coniuicia: ac post dies Paschatis, alii, in festis & animorū remissione versentur, alii præscriptis ieuniis se dedant. Quapropter istud rectius institendum est, & ad vnam normam redigendum. Hoc enim, (sicut omnes vos satis animaduertere existimo) diuina prouidentia vult.

*Hortatio ad sequendum id quod maxima pars orbis comprobet.* C. A. P. XVIII.

Et quo: